

05

A

880





1914.2202

TRIUM THE-
MATUM LOGICO-
RUM EXPLICATIO

*Opposita totidem erroribus Bartholomai
Keckermanni*

ET

CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTA-
tis Philosophicæ in Illustris. VViteberga

*PUBLICÆ ad disputandum
proposita*

P R A E S I D E

M. MARTINO TITIO

QUEDLINBURGENSI.

R E S P O N D E N T E

SEBASTIANO RISSEN

HAMBURGENSE.

*Ad d. 10. Novembr. hor. matutinis.
In Auditorio Collegij Veteris.*

W I T E B E R G E,

Ex officina typographica Martini Henckelij.

A N N O M. DC. X.

*Rev. e- Dodisfo viro Do. Joanni Meiero
no Benedictino Quedlinburgi Lignis suis milites An*





VIRO MAGNIFICO,

*Amplissimo, Consultissimo, Prudentiâ &
Auctoritate prestantissimo,*

Dn. HIERONYMO VOEGLERO,

inclytæ Reipub. Hamburgensis Consuli cum
Vigilantissimo, tum dignissimo.

NEC NON

*Amplissimo, rerumq; politicarum usu spe
Etatissimo Viro*

Dn. JOHANNI MINDEN,

ejusdem Reipub. Octumviro laudatissimo, atq;
Ecclesiæ D. Jacobi Præfecto & corporis
Christi jurato fidelissimo.



*Dominis Fautoribus ac Promotoribus
suis*

Cum debita animi observantia

offerri & discas

Respondens:

05 A 880

AUSPICIIS SS. TRI- NITATIS.

THEMA I:

*Logica usus est etiam in Theologicis, ex æquo ta-
men Logica ad res Theologicas & Phi-
losophicas non spectat.*

I.

LOGICI Calviniani, in primis *Barth. Keckermannus*, & ejus discipulus *Ioan. Philipp. Pareus* Logicam ni-
mium elevant, deq; ejus vero usu in Theologia non cor-
rè docent.

II.

Nimum tribuit LOGICÆ *Keckermannus*, id quod ex hisce pa-
ret Emblematis. Deus lucem Spiritus Sancti per duas illas planè di-
vinas disciplinas METAPHYSICAM & LOGICAM in mentibus
hominum vult accendere. *lib. 1. system. Theolog. c. 4. pag. 57.* In Lo-
gica divinæ imaginis imago EXPRESSIVE QUAM ALIBI depi-
cta est. In epistola dedicataria ad *Illustriss. Principem Mauritium*, præ-
fixa Systemati Logico.

III.

De usu verò hujus disciplinæ in SS. Theologia ita docet cum
suis, ut si non majorem usu Philosophico, certè æqualem urgeat. Re-
prehendit enim & ridet eos qui concedunt usum Logicæ in Theolo-
gia quærendum esse: sed Logicam interim suâ naturâ ac per se solius
Philosophiæ: per accidens autem & secundariò Theologiæ instru-
mentum esse volunt. Vide ipsum *l. 2. Gymnasij Logici mihi pag. 41.*
G. 42.

IV.

Soboles Calviniana *Pareus*. Finem, inquit, nobilissimæ artis (Lo-
gicæ) non ad Philosophiam duntaxat, ceu multi faciunt, sed æquè ad
Theologiam restringamus. *lib. 1. artis Logica pag. 3.*

▲ 2

V. Nos

V.

Nos de usu Logicæ in SS. Theologia secuti Præceptorum nostrorum vestigia ita sentimus, esse videlicet eundem EXIMIUM. Sine Rationis enim usu feliciter nemo in studio Theologico versabitur. Non enim fidei doctrina spargenda est confusè, nec inter bruta Rationis expertia, quemadmodum in libro conformitatum nugamentum extat de Antonio Fratre, qui secus mare concionem habuerat ad pisces, quorum majores capita sua de profunditate exeruerant, minores in extremo margine obhæserant, medioeres non procul à litore constiterant, omnes verò finitâ concione capitibus annuerant, voce sublatâ plausum excitaverant, & jussu Antonij non sine lætis subsultibus dilapsi fuerant: sed proponenda & annuncianda est Homi- nibus, idq; distinctè & ordine concinno. Debet enim Theologus *ἀρθοτομῆν τὸν Θεῖον λόγον.*

VI.

Et quî in hoc studio versabuntur, qui ignorant quid subiectum sit, quid Prædicatum, quid Enunciatio, quæ ejus recta conficiendæ ratio? quid *ἀπόφασις κατὰ φασιν, ἀντίφασιν*? quæ hujus & opposi- tionis omnes leges, propriave? qui itidem nesciunt Syllogismorum fundamenta, consequentiarum rationes. Præcepta certè de Syllo- gismo, utpote ex ipsa luce Naturæ extracta obligant etiam Theo- logum, ut quoties discurrit ea observare cogatur. Non licet Theolo- go concludere ex puris particularibus, vapulabit à Logico si in prima figura minorem negantem formaverit, aut Syllogismum in secunda affirmantem construxerit, aut in tertia universaliter intulerit.

VII.

Parem autem usum Logicæ in Theologia κατ' ἐξοχήν ita dicta, & Philosophia non recipimus. Sunt Theologica alia pura, alia Mix- ta. Pura sunt, quæ TANTUM *πίσει νοῦμεν*, minimè Ratione, unde etiam solum ex libro Scripturæ depromuntur, qualia sunt Mysterium SS. Trinitatis, Secretum illud Generationis Filij Dei ab æterno à Pa- tre. *Ἐκπέθεσις* S. Spiritus à Patre simul & Filio. Incarnatio *τῆς λόγῳ*. Justificatio Hominis Peccatoris coram Deo. &c. Mixta sunt, quæ par- tim FIDE creduntur, partim RATIONE cognoscuntur. Quale Theologicum est: DEUM esse, Deum esse unum numero, &c.

8. Si

VIII.

Si *Keckermannus* parem usum *Logicæ* in *Theologicis* mixtis requireret, non adeo refragaremur; verum quia insuper talem urget in *Puris Theologicis*, solius *FIDEI* objectis, reclamamus omnibus modis, repetentes nostram *ἔξω*: *Logica* ex æquo ad res *Theologicas* & *Philosophicas* non spectat, sed his primariò, illis secundariò inservit, πῶς prout subjecta materia patitur, non accurato quidem discursu, sive examine discursivo, quali objecta *Rationis* discuti solent, sed maximè artificiosâ dispositione, ne videlicet *Mysteriorum* doctrina in unum chaos inscitè confundatur, sed *Logicè*, *Methodicè* & distinctè proponatur.

IX.

Theseos hujus rationes damus istas: I. In *Philosophia* inventa est *Logica*. *Zabarell. l. 1. de N. L. c. ult.* Rebus igitur *Philosophicis* principaliter applicanda.

X.

Respondet ad hoc *Keckermannus l. 2. Gymnas. Logic. pag. 41.* confundi in hac ratiocinatione *Inventionem Logicæ* cum natura artis, nec sequi: *Philosophi* in *Philosophia* invenerunt *Logicam*. Ergò primariò *philosophiæ* inservit, perinde enim esse, ac si quis diceret: *Turcasterram Lemneam* non destinare morbis *Christianorum*, ideo *Terræ Lemnææ* nullam inesse vim ad morborum quibus *Christiani* laborant *Medicinam*.

XI.

Regero. I. Ex *inventione Logicæ* ejus naturam rectè declarari, & rectè argumentari nos cum ita colligimus: Cujus gratia res primariò inventa est, ei primariò etiam inservit. Sed *Philosophiæ* gratia primariò inventa est *Logica*. E. 2. Inconveniens est *ἐνταυτις Keckermanniana*. Idem enim specie objectum est *Terræ Lemnææ*, cum sanat morbos *Christianorum* & *Turcarum* hoc est diversorum populorum: Diversum autem Objectum *Logicæ* est, quando ei ex æquo *Keckermannus* submittit *Thema purum Theologicum* & *Philosophicum*. 3. aliqualem, eumq; insignem usum concedimus: *Keckermannus* argumentum concludit nos nullum largiri, quod falsum.

XII.

II. *Logica* est *rationis disciplina*, non *fidei*, fatente *Jo. Philippo Pareo*

A 3

Pareo

Parco Calvinianissimi Patris Calviniano filio lib. 1. artis Logicæ cap. 1.
At verò plerâq; Theologica sunt Fidei Myſteria, non Rationis huma-
næ decreta. Quomodo ergò Logicâ, hoc eſt Rationis diſciplina pote-
runt conſiderari?

XIII.

III. Quis ſanus & Orthodoxus Myſticas & inuſitatas propo-
ſitiones, quales ſunt: Deus eſt Homo. Homo eſt Deus. Panis Eu-
chariſticus eſt corpus Chriſti &c. regulis ſubjiceret Logicis? Ipſe *Bo-
naventura* præ cæteris Scholaſticis Dd. ſcintillulâ quadam reverentiæ
& veritatis tactus hos prædicationum modos ſingulares, ἀχρηῆς,
inuſitados, inſuetos atq; ab ordinaria præceptorum meta multum di-
ſtantes appellavit. lib. 3. ſentent. diſt. 7. Cæteris Dd. poſtmodum cal-
culum ſuum apponentibus.

XIV.

Et quamvis Dn. *Philippus* de his enunciationibus in Logicis egit,
minimè tamen hoc factum eſt directe, quaſi ſcilicet directe ſint præ-
dicationes Logicæ, congruentes cum norma præceptorum Logico-
rum: neq; reductivè, quaſi nimirum (ut figuratæ enunciationes) ad
regulares reduci queant. Minimè gentium: ſed egit de ijs obliquè
quatenus diſſentiunt à Logicorum regulis, & facere poſſunt ad cæte-
rarum ſpecierum pleniorẽ illustrationem. ἐναντία γὰρ παρ' ἀλλήλα
πρότερα διακρίτιστα. 2. de Cælo cap. 6. & 3. Rhetor. cap. 2.

XV.

Hinc acceperunt nomen, ut dicantur Inuſitata, quippe quarum
forma eſt in affirmata oppoſitorum conjunctione, cum alias (uſitato
modo) duo oppoſita ἔπιφυσία συνδυάζονται. Descriptio earum
hæc eſt: Inuſitata prædicatio eſt duarum oppoſitarum perfectarumq;
ſpecierum propter admirandam unionem affirmata enunciatio. Si-
ve. Inuſitata præd. eſt, in qua duæ ἀληθῶς diſparatæ ſubſtantiæ de ſe
in vicem vocabulis ſubſtantivis ob inuſitatiffimam arctiſſimam et-
iam unionem affirmantur, &c.

XVI.

Hic finimus, certò perſuaſi ante-dictis Logicam æquè Theolo-
gicis & Philoſophicis rebus applicari non poſſe. Id quod adverſus
Keckermannum & malæ fidei ſocios erat concludendum.

THE

T H E M A I I.

*Æquipollentiam Propositionum parit identitas
significationis, minimè verò eam tollit Lo-
gica terminorum Transmutatio.*

XVII.

Ἰσοδυναμία definiunt Logici propositionum verbis discrepan-
tium in sensu convenientiam, non abnuente etiam ipso *Keckermanno*
l. 2. *System. log. pag. 345.* Hinc Orthodoxi Theologi pro æquipollen-
tibus habent hæc: *Panis est corpus Christi. In pane est corpus Christi, sive*
quod idem est: *Corpus Christi est in pane.*

XVIII.

Ἀπόδειξις hæc est. Quæcunq; enunciationes verbis discrepantes
conveniunt in sensu, eæ ipsæ sunt æquipollentes. Duæ hæ enuncia-
tiones, *Panis est corpus Christi. Corpus Christi est in pane;* verbis discre-
pantes conveniunt in sensu, posterior enim prioris *ἐξηναντιον* est, pa-
nis namq; Eucharisticus corpus Christi est, quia cum pane, mysticè &
Sacramentaliter corpus Christi unitum est. Ergò, duæ hæ enuncia-
tiones sunt verè æquipollentes.

XIX.

Contradicit hæc *B. Keckermannus Logicus-Sacramentarius.* In hæc,
inquiens, enunciatione; *In pane est corpus Christi. Corpus Christi*
subjectum est, non prædicatum, idcirco toto proponendi seu enun-
ciandi genere differt ab hæc, *Panis est corpus Christi,* nec potest eam
per æquipollentiam explicare, l. 2. *System. logici pag. 306.* Et cap. 5.
ejusdem libri pag. 346, talem cussit Canonem: *Æquipollentes debent ha-
bere idem re subjectum & Prædicatum.* Nam transpositio (addit ibidem)
& mutatio Subjectorum & Prædicatorum facit propositiones sensu
diversissimas, ideo NEMO LOGICUS dixerit has æquipollere; *Pan-
is est corpus Christi, & in Pane est corpus Christi, vel quod idem est;*
corpus Christi est in pane. Hæc Keckermannus.

XX.

Quid verò reponendum? Sequar hîc & legam vestigia Clarissi-
mi Logici *Dn. Jacobi Martini* Præceptoris mei observandi, qui in pub-
lica quâdam Logica *ἐξέτασι* Anno 1603. 19. Novemb. in Illustri hoc

A 4

Dei

Dei Jerusalem habita *ἄλογον* hunc sortum Keckermannianum pri-
mus masculè confecit.

XXI.

Sit propositio: Paries est albus. Sit alia. In pariete est albedo.
Sive quod idem est; albedo est in pariete. Equipollentes has esse
quis negat? At verò diversitas dispositionis Logicæ Subjecti cum
Prædicato manifestissima. Posteriores enim si Logicè examinave-
ris, albedo erit subjectum.

XXII.

Similia. 1. Animal est corpus; Corpus est in animali ut genus
in sua specie. 2. Homo est Deus; Deus est cum illo. Et: In illo *καθι-
κει πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος*. 3. Universale est in singulari;
singulare est universale circumscriptum ultimis conditionibus, ut ait
Scal. exerc. 251. *ἰσοδυναμίας* has esse enunciations quoad significa-
tionem & tenorem ipsarum rerum dabunt sponte credo ipsi Adver-
sarij, nihilominus tamen dispositionis Logicæ ratio non una est, ca-
demq;.

XXIII.

Possunt ergò (verba Clarissimi Logici sunt) & equipollentes
esse & sunt etiam, Panis est corpus Christi; Et corpus Christi est in
pane. Hæc enim illius est exegetica, quâ explicatur quomodo Panis
sit corpus Christi, nimirum non per *μετέσταν* Pontificiorum, sed per
ἐνώσει Sacramentalem, quæ panis naturam neq; tollit, neq; destruit.

XXIV.

Falsissimus ergò Canon Keckermannii est: equipollentes debere
habere idem re subjectum & Prædicatum. Nec facit toto genere di-
versas enunciations transmutatio terminorum logica, uti somniat
Keckermannus, sed idem planè easdem significare permittit.

T H E M A III.

*Oratio hæc Syllogistica: Dextra Dei est ubiq;.
Christus secundum Sanctissimam carnem sedet
ad dextram Dei. Ergò Christus secundum sanctissi-
mam carnem est ubiq; ; non peccat in forma.*

es. Hunc

XXV.

Hanc & similes discursus apud Orthodoxos fortè reperiri Theologos non ibimus inficias. Formabimus & istud: λόγος est ubiq;. Sanctissima Humanitas est in λόγῳ, quippe cum eo ὑποστατικῶς unita. Ergò Sanctissima humanitas est ubiq;.

XXVI.

Quatuor terminos hîc esse vociferatur Keckermannus I. 3. System. logic. cap. 5. pag. 419. & ante ipsum importunus ille Pezelius adversus lumen illud Theologorum D. Hunnium.

XXVII.

Ab his sentimus diversum, statuentes I. hos Syllogismos esse Crypticos, & loco majoris occultaræ habere ejusdem probationem. Cryptici hac se motâ expliciti tales erunt. Quicumq; sedet ad dextram Dei, ille est ubiq;. Ratio. Quia dextra Dei est ubiq;. Christus secundum carnem sedet ad dextram Dei. Ergò. Quicumq; est ὑποστατικῶς unitus τῷ λόγῳ, ille est ubiq;. Ratio. Quia λόγος est ubiq;. Homo Christus est ὑποστατικῶς unitus τῷ λόγῳ. Ergò &c.

XXVIII.

2. Dicimus in istiusmodi argumentationibus non mutari medium terminum, sed duntaxat inflecti salvâ ejusdem permanente substantiâ, quod fit positione confirmationis majoris pro majore ipsa.

XXIX.

Videre hoc licet in argumentis consimilibus, quæ profectò legitima judicantur, verbi gratiâ, Witeberga est in Saxonia. Beati Lutheri corpus est VVitebergæ. Ergò Beati Lutheri corpus est in Saxonia. Item, corpus Eliæ est in Cælo. Anima Eliæ est in illo corpore. Ergò anima Eliæ est in Cælo. Procedere hos Syllogismos quantumvis medius terminus sit nonnihil inflexus, nempe corpus Eliæ, & in corpore Eliæ. Item VViteberga & VVitebergæ, quisq; sanæ mentis intelligit.

XXX.

Obstrepit Rationabilis Secta, & hac ratione veras etiam fore istas collectiones; Corpus Eliæ est materiatum. Anima Eliæ est in illo corpore. Ergò anima Eliæ est materiata. Item. Roma est caput orbis. Paulus est Romæ. Ergò Paulus est caput orbis; contendit.

31. Respon-

Respondeo. Diversitatem hic esse maximam. Confunduntur enim & miscentur diversæ Quæstiones Quid sit, & Ubi sit. Major enim propositio differit de Quæstione Quid. Quid scilicet sit corpus Eliæ, & quid Roma. Minor de Præsentia, ubi scilicet anima Eliæ & Paulus. Petimus argumentum ab adversarijs ἐν ἀσέως loco, ubi major & minor quæstionem ubi res sit tractent. Pro comperto enim habemus in omnibus exemplis quibus de Præsentia tractatur valere tales consequentias. Legatur Beatissimus Hunnius contra Pezelium in assertionem sanæ doctrinæ de Persona CHRISTI pag. 146 & seqq.

Sint quasi Corollaria sequentia

σοιχεῖα.

I. *Omne Ens subjacet Affectionibus.* Rationes. I. Quia cujuslibet Scientiæ objectum passionibus stipatum est. Arist. 1. post. c. 8. & 4. Metaph. c. 2. 2. Adime Enti omnes affectiones, & non erit locus Demonstrationi in Metaphysicis, & non erit Metaphysica quædam ἄπιστήμη. Ἀποφον. 3. Unitatem, veritatem, bonitatem Enti accidere nullus adhuc negavit.

II. *Non Entis nulla sunt Affectiones.* Affectio enim alicujus affectio est, non τὸ Nihili.

III. *Plura requiruntur ad rei Existentiam, quàm Essentiam.* Zabarella lib. 2. de rerum Materia 1. c. 3. Essentiam enim, eamq; propriam quælibet res habet per seipsam, cum non quælibet res apta sit per seipsam existere, sed multa sint quæ alio indigent per quod existant.

IV. *Omne Ens existit alicubi.* In aliquo UBI esse hoc proprium est omnium Entium præter primum. Scal. exerc. 6. sect. 6. UBI est circumstantia necessaria omnibus Entibus præter DEUM. Idem Exerc. 359. sect. 5. Et paulò post. Est ubietas affectus Entis cujusq; necessarius præter DEUM. Aristoteles huc respexit. τὰ ὄντα, inquit, πάντες ὑπολαμβάνουσιν εἶναι πρὸς τὸ γὰρ μὴ ὄντα μὲν εἶναι 4. Phys. c. 1. Ratio τῶν σοιχείων præsentis dari ea potest. Finitum omne Ens est (de Creato Ente loquor) & quidem finitum essentia suæ terminis, in
infini-

infinitum enim nullum expansum est: Ergo necessario erit alicubi.
Cohærent enim tam arctè esse in quodam UBI, & esse finitum, ut
Scaliger Exercit. 359. sect. 5. de Angelis concludat ita: Si sunt Entia
finita, necesse est ut sint in aliquo UBI.

V. *Unitas est adæquata Entis affectio. Sive. Omne Ens est unum.*
Unde Scaliger Exerc. 65. sect. 2. Entis, inquit, & unius est æqualis na-
tura ad mutuam prædicationem, sed ita ut sit illa prior. Ens est unum.
Dissentit *Timplerus*: l. 2. Met. c. 4. q. 4. aliquando tamen (inconstans
enim est) thesin asserit. Vide q. 11. cap. 3. lib. 2.

VI. *Omne Ens est verum.* Quia omne non-Ens falsum. Agno-
vit hoc *Timplerus* l. 2. Metaph. c. 8. q. 5. Veritas, inquit, est affectio
adæquata Entis, quatenus Ens est. Nullum enim quatenus Ens est fal-
sum, sed omne eo respectu est verum. Quo effato stante non pote-
rit idem defendere suam thesin, quam in initio cap. prædicti libera-
riter posuerat. Omne Ens, inquit, aut verum est aut falsum.

VII. *Bonitas est adæquata Entis affectio.* Atq; ut quælibet res quæ
essentiam habet bona est: ita omne non Ens malum est, quia essentiã
destituitur. Agnovit hoc iterum *Timplerus* qu. 14. lib. 2. c. 9. Boni-
tas, inquit, est affectio propria Entis & adæquata, quæ naturam il-
lius necessario consequitur. Quibus stantibus disputat *artium-depra-*
uator contra propriam *Thesin*, quam posuerat in initio capitis: Omne
Ens, inquit, aut est bonum, aut malum.

I. *Timoth. 1. §. 17.*

Τῷ βασιλεῖ τῶν αἰώνων ἀφθάρτῳ, ἀσράτῳ, μόνῳ σοφῷ θεῷ,
πρὶν καὶ δόξα εἰς τὰς αἰώνας τῶν αἰώνων.
Αμήν.

7



05 A 880

ULB Halle 3
003 760 898



1077
Sch



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1914.2202
TRIUM THE-
MATUM LOGICO-
RUM EXPLICATIO

*Opposita totidem erroribus Bartholomæi
Keckermanni*

ET

CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTA-
tis Philosophicæ in Illustris. VViteberga

*PUBLICÆ ad disputandum
proposita*

P R A E S I D E

M. MARTINO TITIO

QUEDLINBURGENSI.

R E S P O N D E N T E

SEBASTIANO RISSEN

HAMBURGENSE.

Ad d. 10. Novembr. hor. matutinis.

In Auditorio Collegij Veteris.

W I T E B E R G Æ,

Ex officina typographica Martini Henckelij.

ANNO M. DC. X.

*Rev. e Dodisfo viro Do. Joanni Meiero
no Benedictino Quedlinburgi Lipsiensi militi An*